Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

CONFOEDERATIONIBVS LIBERARVM S. R. I. CIVITATVM

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQVA

PRAESIDE

HENRICO BROKES D.

SERENISS. DVCIS SAXO-GOTHAN. ET ALTENBVRG. CONSIL. AVL. PANDECT. P. P. ORDIN. CVRIAE PROVINC. FACVLT. IVRID. ATQVE SCABIN. ASSESSORE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN IVRE HONORES OBTINENDI

IN

ILLVSTRIS ACADEMIAE IENENSIS AVDITORIO IVRIDICO

D. XXVII. MART. CIↃIↃCCLII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PVBLICAE DISQVISITIONI

SVBMITTIT

AVCTOR

IACOBVS FELS

LINDAVIA-ACRONIANVS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

Digitized by Google

§. 1.

Antiquis temporibus nullas Germaniae vrbes fuiſſe, conſtat, ſed, poſtquam Germaniae pars a Romanis erat occupata, primum a uictoribus illis plurima caſtella, nonnullaeque urbes ſunt inſtructae. Factum illud eſt in Germania, quae Romanis dicta fuit Cisrhenana; CONRING *de urbib. German.* §. *31.* in Germania uero magna, Romanis transrhenana, nobis uero cisrhenana dicta, ante Carolingorum tempora, et quidem poſt ſeculum demum a CHRISTO nato V. quaedam urbes exiſtere coeperunt.

§. 2.

Huic quidem ſententiae repugnare uidetur, quod IVLIVS CAESAR, *libr.* IV. de *B. G. c. 6.* FLORVS, *Epitom. Hiſt. Rom. libr. 137.* VELLEIVS PATERCVLVS *hiſt. libr. II. c. 95.* ciuitatum, oppidorum, urbiumque, inter Germanos transrhenanos exiſtentium, mentionem faciant. At enim uero iſta urbis, oppidi, ciuitatis uocabula penes illos non loca, moenibus munita, ſed uillas, uicos non munitos denotarunt. CONRING. *l. c.* §. *4.* Vici tantum, prouti ex TACITO *de moribus German. c. 16.* apparet, Germanorum ſedes fuerunt, et horum in-

Digitized by Google

clinationes adeo a locis munitis abhorruerunt, ut commilitonibus ſuis habitationes in locis munitis, tanquam munimenta ſeruitii, acerbiſſimo opprobauerint modo, TACIT. *hiſt. lib.* IV. *c. 64.* et in munimenta, ab hoſtibus capta, nunquam domicilium ſuum translocauerint, eorum ſolum territorio inhabitantes. Imo reliqui Hiſtorici, qui notabilia Germaniae antiquae litteris mandarunt, et ſpeciatim expeditiones Romanas in Germaniam magnam deſcripſerunt, ne unius quidem urbis, in eadem exiſtentis, usque ad Seculum a nato Seruatore V. mentionem faciunt, ſed habitationes Germanorum eodem modo, quo TACITVS, depingunt. Si uero concederemus, IVLIVM CAESASEM, FLORVM et VELLEIVM PATERCVLVM de urbibus, locisue munitis locutos fuiſſe, ex arrogantia, Romanis innata, hoc factum eſſe diceremus, quo populus Romanus eo melius perſpicere poſſet, ſumma quidem impedimenta expeditionibus militum Romanorum in Germaniam obiecta, fortiter uero, prudenterque armis Quiritium ſuperata fuiſſe.

§. 3.

Neque cum illis facio, qui demum originem ciuitatum Germanicarum ad aetatem CAROLI M. referunt, dicentes, urbes in Germania magna ante CAROLI M. tempora non fuiſſe, ſed uicos ſaltem, uillas cum quibusdam caſtellis. Non nego, paucas aetate CAROLI M. in Germania, Romanis transrhenana, fuiſſe urbes; fateor tamen, aliquas eodem tempore iam in illa exſtitiſſe. Non ſolum GREGORIVS *Turonenſis hiſt. Franc. libr. III. c. 4. et 7.* pariter ac WITTEKINDVS *Corbeienſis hiſtor.*

hiſtor. Saxon. libr. 1. narrant, urbem munitam Schidingam, ad Unſtrutum ſitam, eo tempore, quo THEODORICVS, Rex Francorum, regnum Thuringiae exſtirpauit, id quod circa annum 524. factum eſſe, CONRINGIVS *c. l.* §. *25.* refert, a Saxonibus eſſe occupatam, uerum etiam annales Francorum produnt, aetate iam CAROLI M. Venedos, alias Vandalos falſe dictos, CONRING *de fin. Imper. c. XVI. 1.* et praeſertim inter Viſtulam et Oderam habitantes, HERTIVS *Notit. Vet. Germ. popul. inter opuſc. Vol. II. P. I. c. 1.* §. *10. not.* * *p. 25.* caſtella, urbesque frequentia commerciorum, potentiaque florentiſſimas, coluiſſe. CONRING. *de ſ[illegible] German.* §. *29.* In Vindelicia, Rhaetiaque iam ante CAROLVM M. urbes celebris famae, ac inter illas Auguſtam praeſertim Vindelicorum floruiſſe, CONRINGIVS *l. c.* §. *33.* MYLERVS *Archol. Ordin. Imper.* p. 156. aliique teſtantur.

§. 4.

Gentibus poſtea barbaris ſub Imperatoribus Carolingis et Saxonicis Germaniam ſaepius per irruptiones ſuas uaſtantibus, coacti ſunt Imperatores his inſultibus obicem ponere. Coeperunt ergo ciuitates moenibus munire, monaſteria muris circumducere, plurium urbium fundamenta iacere. In primis HENRICO *Aucupi* ſingulari fuit curae, ut Germaniam hoc modo ſecuritate plenam redderet. Eo fine ex agrariis militibus nonum quemque elegit, atque in urbem remiſit, octo uero in uillis remanere iuſſit, ut ſeminarent, meterent, fructus colligerent, eosque ſuis reconderent locis. WITTEKIND. *Annal. libr. I. p. 639.* SIGEBERTVS *Gemblacenſis ad ann. 925.*

§. 5.

Non tamen hae barbarorum excurſiones unica urbium condendarum cauſa fuerunt. Noua uiuendi ratio, qua Germani, alias rudi tecti uellere, et cibo ſimplici, lacte, caſeo, agreſtibus pomis, recenti fera contenti, iam ſtudiis rei militaris imbuti, hoſce mores antiquos deſerebant, et Romanorum more uitae ſuae rationes inſtituebant, nouum exſtruendarum urbium adiecit ſtimulum. Hoc enim genere uiuendi electo, factum eſt, ut mercaturae incumbentes, et artes opificiales agentes, multas acquiſiuerint opes, quas melius conſeruare et amplius augere non poterant, niſi urbium auxilio. CONRING. *de urbib. German.* §. 78. *et* 79.

§. 6.

Ingentem Principum numerum, in Germania regia pene poteſtate imperantium, non parua urbis incrementa attuliſſe, teſtatur CONRINGIVS *l. c.* §. 80. Ratio termini anguſti non permittit, pluribus indicare, Epiſcopos, monaſteria, palatia regia ſaepiſſime occaſionem exſtruendarum urbium dediſſe. Rerum iſtarum cupidum ad BALVZII *praefat. Capitul. reg. Franc.* praemiſſum, nec non ad MABILLONIVM *de ſtud. monaſt.* remitto.

§. 7.

Hae urbes ante CAROLVM M. et ſub eiusdem, pariter ac ſucceſſorum regimine usque ad poſteritatem HENRICI *Aucupis* faciem, municipalibus ciuitatibus haud longe diſſimilem, habuerunt. SPEIDEL. *Spec. Iurid. Polit. ſub uoce*: Reichs-Städte. Nam Imperatores omnes ex illis prouentus et reditus publicos accipiebant,

urbes hanc ob cauſam loca fiſcalia nominantes, LEHMANN. *Chron. libr. II. c. 44.* imo ius in illis dicebant, merum, mixtumque imperium exercentes, ANSEGISII *Colleſt. Capit. reg. Franc. libr. III. c. 48. et 50.* ac magiſtratus conſtituentes, et partim uariis largitionibus, partim uenditione, oppignoratione, alioue modo urbes in aliorum poteſtatem transferebant. CONRING. *l. c. §. 106.*

§. 8.

Cum uero Imperatores non ubique praeſentes eſſe potuerint, factum eſt, ut aliis prouincias et urbes adminiſtrandas committerent. Eo fine Duces, Comites ac miſſi regii conſtituebantur, quos inter primorum officium in eo conſiſtebat, ut totam quandam prouinciam regerent, *Lex Baiuuar. libr. II. tit. 2. c. 8.* ius dicerent, LEHM. *Chron. Spir. libr. II. c. 16.* AVENTINVS *Annal. Boior. libr. III.* et militiae praeeſſent. Hos ſequebantur Comites, in pagis et ciuitatibus ius dicentes, nec non ciues ſuos in aciem ducentes, LEHM. *Chron. Spir. libr. II. c. 17. 21. 22.* quibus ſeptem, aut plures ex ordine plebis electi Scabini, prouti comitatus uel maior, uel minor erat, adiungebantur, ut illis, eorumque uicariis in exercendo mero et mixto imperio aſſiſterent. ID. *libr. II. c. 22.* Hi ſcabini a miſſis regiis eligebantur, quos Imperatores quouis quadrimeſtri ſpatio in prouincias mittebant, ut facta, mandatis Imperatorum contraria, emendarent, ac impedimenta, quibus curſus iuſtitiae ſiſtitur, remouerent, cenſusque Imperatorum perquirerent atque poſtularent. CAPIT. *reg. Franc. libr. II. c. 26. libr. III. c. 83. 84. 85.*

§. 9.

Hiſce interim Vicariis ſub regimine CAROLI M. eiusque ſucceſſorum eadem poteſtas in diſtrictu ſuae iurisdictionis mandatae non amplius fuit, qua olim gaudebant. Factum enim eſt, ut, cum ſuperſtitio in multorum animis altas radices egerit, ſenſim ſenſimque uires illorum ſint deminutae. Primum CAROLVS M clericorum ordinem iurisdictioni Vicariorum ſuorum ſubduxit, illorum uoluntati, qua magiſtratum ſecularem repudiantes, iudices tantum ex ſuo ordine, ſeu Epiſcopos agnoſcere ſtudebant, locum reliquit. *Capit. reg. Franc. libr. VII. c. 322.* LEHM. *Chron. Spir. libr. II. c. 21. 35.* Succeſſores clericis exemtionem a poteſtate ſeculari confirmarunt, HELMOLD. *Chron. Slauor. libr. I. c. 4.* ſed et ita liberales erga eos ſeſe praebuerunt, ut illis propriam iurisdictionem, ab Epiſcopis exercendam, in res quoque et bona ſua conceſſerint. HEDA *hiſtor. Ultraiect. p. 45.* GOLDAST. *conſt. Imper. Tom. III. p. 304.* HELMOLD. *l. c.* Imo totos ducatus, comitatus, uariasque urbes, antea a Ducibus, Comitibusue adminiſtratas, fidei Epiſcoporum mandarunt. CONRING. *de urb. Germ.* §. *107.* LEHMANN. *Chron. Spir. libr. II. c. 33.* CONRING. *de Duc. et Comit. Imper. Germ.* §. *25. et 26.* SCHWEDER *de doman. Imper.* §. *26.* Idem ſequentes fecerunt Imperatores, qui integra territoria, comitatus, dynaſtias, urbes et uaria magni momenti regalia illis plane donarunt. CONRING. *de urb. Germ.* §. *107. 109.* SCHWEDER *de doman. S. R. I. G.* §. 2. *6.* Poſtea Duces, Comitesque prouincias, quibus praefuerunt, uariis modis proprio iure poſſidere coeperunt. LEHM. *Chron. Spir. libr.* IV. *c. 1.* RHENANVS *libr.*

VIII.

Digitized by Google

VIII. *rer. German.* CONRING. *c. l. c. 118.* SCHWEDER. *l. c. c. 25.*

§. 10.

Succeſſu temporis multa in poteſtatem Imperatoris ac Imperii redierunt. Inprimis urbes haud paucae ab Epiſcoporum, Ducum, Comitum et monaſteriorum poteſtate uel prorſus, vel ex parte liberabantur, CONRING. *c. l. §. 120.* quo ipſo illarum conditio maiora cepit incrementa. Licet enim in illis ciuitatibus, in quibus regimen Epiſcoporum abrogatum erat, initio Duces et Comites ad regimen illarum denuo redierint, LEHMANN. *libr. IV. c. 3.* GOEBEL *de aduocatia armata §. 1. not. c.* per breue tamen temporis ſpatium haecce poteſtas durauit, dum HENRICVS IV. munera iſta Ducum, Comitum et praefectorum in ciuitatibus Imperii plane ſuſtulit, hisque illa iura, prouentus ac reditus, quibus praefecti illi in ciuitatibus antea fruebantur, largiſſime conceſſit. LEHMANN *l. c.* SCHWEDER *de doman. S. R. J. §. 26.* Initium id fuit libertatis, qua ciuitates Imperiales hodienum gaudent. Neque huius inſtituti poenituit Caeſarem. Ortis enim inter huncce Imperatorem et Epiſcopos, Ducesque Saxoniae, Bauariae ac Sueuiae diſſidiis, ciuitates illae Imperatori auxilia tulerunt, tantamque illi fidem praeſtarunt, ut hanc libertate remunerari, atque ciuitatibus ſummam in adminiſtrandis terrarum ſuarum limitibus poteſtatem conceſſerit. HELMOLD. *Chron. Slau. libr. I. c. 28.* Ciuitates illae erant Wormatia, Colonia, Spira, Argentoratum, Baſilaea, aliaeque Rhenanae, LEHMANN. *libr. IV. c. 3.* HEIDER Apologie *p. 150.* et ciues illarum ab eo tempore liberam obtinuerunt poteſtatem,

 ha-

habiles conciues, qui regimini praeſint, eligendi, legatos ad comitia Imperii mittendi, ibique cum aliis Imperii ſtatibus deliberandi et decidendi. HOFFMANN *de origine libert. liber. et Imper. ciuitatum.*

§. II.

His ita comparatis, laudatae ciuitates Rhenanae primae inter reliquas Imperii ciuitates fuerunt, quae libertate atque immediato regimine ſunt donatae. Sunt, qui Goslariam ſub eodem HENRICO IV. libertatem eſſe conſecutam, HOFFMANN. *l. c.* et Norimbergam iam tempore CONRADI II. libertate eſſe donatam uentilant, KNIPSCHILD *libr. III. c. 38. n. 11.* ſed ualde dubiis utuntur argumentis. Reliquae potius Imperii ciuitates, Rheno haud uicinae, poſt aetatem HENRICI IV. liberae, atque immediatae ſunt factae, non tamen uno, eodemque tempore, nec uno, eodemque modo. CONRING. *de urb. Germ. §. 122.* VITRIARIVS *libr. I. tit. 18. §. 8.* Plerumque ſtatuitur, quod FRIDERICVS I. et II. quorum priori Lubeca libertatis originem debet, BANGERTI *Orig. Lubecenſ. §. 41. apud Dn. de* WESTPHAL *Monuum. inedit. rer. German. p. 1281.* LAMB. ALARDI *res Nordalbingicae ad a. 1181. apud Eundem p. 1784.* PFEFFING. *ad Vitr. Tom. II. p. 179.* plurimas ciuitates in ſtatum libertatis atque immediatae ſubiectionis redegerint. BVRGOLDENSIS *notit. rer. Imper. R. G. p. 383. et* HOFFMANN. *l. c. §. 15.* Hoc certum, non multo poſt uarias Imperii ciuitates in libertatis faſtigium aſcendiſſe. RHENANVS *rer. German. libr. II. rubr. Status Imperii ſub Saxonia.* LEHMANN. *libr. IV. c. 3.* WILDVOGEL *de ſuperioritate territ. ciuit. Imper.* Certum

tum quoque eſt, interitum nonnullorum principum multis in Sueuia ciuitatibus libertatis bonum comparaſſe. Ita, CONRADINO, ultimo Sueuorum Duce contra omne ius et aequitatem iuſſu Papae CLEMENTIS IV. per enſem carnificis a CAROLO *Andegauenſi* uita priuato, et ALBERTO I. Imperatore a IOHANNE, nepote RVDOLPHI *Habsburgici*, interfecto, Sueuiae ciuitates, quoad maximam partem, numerum liberarum ciuitatum auxerunt, cum e contrario ante FRIDERICI I. tempora ne unicam quidem ciuitatem liberam in terris ſueuicis eſſe quaeſitam, BVRGOLDENSIS *l. c. p. 386.* ex FELICIS FABRI *hiſtor. Sueu. libr. 1. fol. 102.* teſtetur. Interregni, aliorumque Imperii diſſidiorum temporibus haud paucae ciuitates ulteriorem ſubiectionem, qua dominis territorialibus erant obnoxiae, detrectarunt. KNIPSCHILD. *libr. I. c. 6. n. 27.*

§. 12.

Soli autem munificentiae Imperatoris omnes Imperii ciuitates libertatem ſuam et immediatam ſubiectionem haud debent. Quaedam enim, antea municipales, ab ipſis Principibus Imperii huic liberali animo ſunt ceſſae ac traditae, poſteaque ab Imperatoribus liberae ſunt agnitae. Hoc modo ſub regimine RVPERTI Imperatoris ciuitates Gengenbach, Zella et Offenburgum liberae ſunt factae. HERTZOG *Chron. Alſat. libr. IV. p. 107.* VITRIAR. *libr. I. tit. 18. §. 8.* Simili ratione Berna in Heluetia a BERCHTOLDO, vel de ZERINGEN Imperio Romano ſub hac conditione data eſt, ut priuilegiis ſingularibus donaretur. ETTERLEIN *in Chron.* der löblichen Eydgenoſſchaft *p. 34.* BECK *Introd. in hiſt. Heluet.*

Digitized by Google

§. 16. Quaedam interuentu pecuniae dominorum ſuorum poteſtate exierunt, et immediatae poſtea factae ſunt. Ita Lindauia, patria mea dulciſſima, ab HVGONE, Hugonis, Comitis Brigantini, filio, pro quadraginta et duobus marcis auri et argenti libertatem emit. *Acta Lindau. p. 57. et 613.* Quaedam ab ipſis Imperatoribus pro numerata pecunia ſunt redemtae, Imperioque addictae. Sic Memminga et Rauensburgum a Comite WELPHONE IV. *de* ALTORF ſunt venditae, atque in numerum ciuitatum Imperialium ſuſceptae. CRVSII *Annal. Sueu. P. II. libr. I. c. 16. et libr. IX. c. 11.* Aliae proprio Marte a poteſtate dominorum ſuorum ſe liberarunt, aliae pactis, aliae aliis modis ſe in libertatem aſſeruerunt.

§. 13.

Illa tamen libertas non ſtatim fuit pleniſſima, cum praecipua regalia, per aduocatos exercenda, Imperatores in plurimis ciuitatibus ſibi reſeruauerint. Pertinent huc ius monetas cudendi, prouentus uectigalium recipiendi, Iudaeorum tributa ſibi uindicandi, facinoroſos et criminis capitalis reos coercendi, una cum multis aliis. LIMNAEVS *de Capitul. Imper. et Reg. p. 254.* MYLER. *Archolog. c. 20. et 21.* Sed illud tributi genus, quod Caeſari pendi ſolitum, plurimis ciuitatibus eſt remiſſum, maximaque illarum pars ab onere aduocatorum ſe liberauit, et reliqua Imperii regalia uariis ſibi acquiſiuit titulis. KNIPSCHILD *de ciuit. imper. libr. V. c. 3. n. 42.* Confirmauit eadem *Pax Weſtphalica art. VIII. §. 1. iuncto art. V. §. 29.* ui cuius omnia iura et regalia, ab Imperatore et Imperio legitime impetrata, ciuitatibus rata maneant et intacta. WILDVOGEL *de ſuperior. territ.*

Digitized by Google

territ. ciuit. Imper. §. 19. Imo in *Capitulationibus Caeſareis* cuilibet Statui, et ſic quoque ciuitatibus Imperii conſeruatio iurium ſolennibus promittitur uerbis. Conf. recentiſſimam inuictisſimi Imperatoris FRANCISCI I. *Capitul. art. 1. 2. 3. et 9.*

§. 14.

Maxima ex incrementis liberarum Imperii ciuitatum penes quosdam Principes, qui uires illarum debilitare ſtudebant, oriebatur inuidia. LEHMANN. *lib. VII. c. 65.* et *66.* Inde bella, aliique motus, maxime tempore interregni atque diffidationum conſuetarum, excitati. DATT *de P. P. libr. I. c. 3. n. 24. et* HILLER *de ciuit. imper. iud. amic.* §. *11.* Non ergo eſt, cur mireris, ſi illis temporibus ciuitates Imperiales, pro delictis quaſi habitae, imo fere deſtitutae, omnem conſilii uiam, qua propriis uiribus ſe tueri, et contra aggreſſiones ſe defendere ualerent, inire fuerint coactae.

§. 15.

Inprimis foederibus, tum inter ſe ipſas, tum cum aliis initis, ſibi proſpiciebant, quibus tale robur libertatis ſuae obtinuerunt, ut iis ipſis, qui antea illis ſeſe opponebant, leges praeſcripſerint, atque Imperatoribus egregium cum ſingulari ipſis attributa laudis gloria praeſtiterint auxilium. LEHMANN. *libr. IV. c. 3.* Iuuabit, hiſce meditationibus diutius inhaerere, atque confoederationes liberarum Imperii Ciuitatum contemplari.

§. 16.

Sunt iſtae conuentiones, a ciuitatibus Imperialibus

de re publica in communem, uel propriam utilitatem facțae. Germanice dicuntur Bündniſſe, Geſellſchafften, Verbündniſſe, Einigungen, Zuſammenſetzung, Vereinigung, Verſtändnüß, Verbrüderung. Conſ. WENCKER *de appar. et inſtr. archiu. ex uſu noſtri temp. p. 241. et 245.* Res publica, quae tractatur, efficit, ut foedera ab iis conuentionum ſpeciebus, in quibus aut priuatus cum priuato, aut ciuitas cum priuato, aut ciuitas cum ciuitate de re priuata paciſcitur, diſtinguantur.

§. 17.

Suntque uel aequales, uel inaequales. Illae ſunt, quae utrinque eodem ſe modo et conditione habent. Tale foedus Latino, Albae regi, apud Virgilium Aeneid. *libr. XII. u. 176.* promittit, his uerbis:

Eſto nunc ſol teſtis, et haec mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens, et tu Saturnia Iuno,
Iam melior, iam diua, precor: tuque inclyte Mauors,
Cuncta tuo qui bella, pater, ſub numine torques:
Fonteſque, fluuioſque, uoco, quaeque aetheris alti
Relligio, et quae coeruleo ſunt numina Ponto.
Ceſſerit Auſonio ſi fors uictoria Turno,
Conuenit Euandri uictos diſcedere ad urbem:
Cedet Iulus agris, nec poſt arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferroue haec regna laceſſent.
Si noſtrum annuerit nobis uictoria Martem,
(Ut potius reor, et potius Dii numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambae
Inuictae gentes aeterna in foedera mittant.

Hae

Hae ſunt, quibus inaequales praeſtationes determinantur.

§. 18.

Porro ſunt vel pacis, uel ſocietatis foedera. Haec uel perfectam et perpetuam unionem; uel ſingularem et temporariam intuitu communitatis belli, aut commerciorum ſanciunt. MASCOV. *de iure foederum in S. R. I. §. 5.*

§. 19.

Speciatim ſunt uel uniuerſales, uel particulares, uel ſingulares. Uniuerſales ſunt, quibus, ſi non omnes, maxima tamen pars ciuitatum Imperialium ſe coniunxit. Pertinet huc foedus, a. cIↃCCLIV. inter plus, quam ſexaginta ciuitates Imperiales initum; LEHMANN *libr. V. c. 92.* DATT. *de P. P. libr. I. c. 4. n. 31.* foedus, a. cIↃCCCLXXXII. (non, uti quibusdam placet, HILLER *de ciuit. Imper. iud. amicab. §. 12. n. f.* a. cIↃCCCLXXXIV. quo anno ſaltem multi principes in foederis conſortium ſunt recepti, DATT. *c. VIII. n. 18. 19. 20.*) inter ciuitates Imperiales prope Rhenum in Sueuia, in Bauaria et in Franconia, iacto a. cIↃCCCXXXI. huius confoederationis a ciuitatibus Rhenanis et Sueuicis fundamento, initum; LÜNIG. Reichs-Archiv *P. Spec. Contin. IV. p. 33.* DATT. *c. VIII.* LEHMANN. *libr. VII c. 66.* foedus, a. cIↃCCCLXXXV. in conuentibus ciuitatum, Conſtantiae celebratis, inter LI. ciuitates Imperiales ex Rheno, Bauaria, Franconia et Sueuia initum, cui Berna, Lucerna, Tigurinum, Tugium Solodarum acceſſere. LÜNIG. *l. c.*

l. c. p. 39. LEHMANN *libr. VII. c. 67.* et, quod primo loco nominare debebam, celebre iſtud foedus Hanſeaticum, commerciorum cauſa inter ciuitates Hanſeaticas initum. IO. ANGEL. WERDENHAGEN *de rebusp. Hanſeaticis et eorum nobili confoederatione.* Particulares nomino, quas ciuitates unius, alteriusue circuli pepigerunt. Refero huc foedera, a. cIↃCCCXXXI. cIↃCCCLVI. et cIↃCCCLXXIV. inter Sueuicas et Rhenanas ciuitates inita, quorum poſterius Comiti EVERHARDO, Wurtenbergico, oppoſitum erat, priora uero pacis publicae cauſa erant contracta. LEHMANN. *libr. II. c. 65.* CRVSII *Annal. libr. V. P. 3. c. 19.* DATT. *libr. I. c. 6.* KNIPSCHILD *p. 507. n. 10.* Singulares confoederationes mihi ſunt, quae inter duas, uel plures ciuitates Imperiales, paucas tamen, ſunt contractae.

§. 20.

Ius condendi foedera Ciuitates Imperiales acceptum referunt illi temporis momento, quo iura ſtatuum ſunt conſecutae. MASCOV *de iure foederum in S. R. I. §. 24.* Sicut enim Statibus Imperii ius belli, et cum illo ius foederum, ceu illius acceſſorium, non eſt denegandum; ita quoque ciuitates Imperii, quae per immediatam ſubiectionem omnium iurium, quibus reliqui Status gaudent, participes factae ſunt, ius foedera pangendi habent. Optime hoc agnouit LEHMANNVS, qui *libr. IV. c. 13.* inter reliqua priuilegia, ciuitatibus competentia, ius foederum diſerte refert his uerbis: Item durch dieſe Befreyung (ſc. von der Regierung der Hertzoge, Grafen und Praefectorum) iſt ihnen angegeben und eingeräumet mit andern des

Reichs

Reichs Churfürſten, Fürſten, Grafen, Herren und Stätten ſich in Bündnüß zu des Reichs und ihres eigenen Nutzen einzulaſſen. Inde, cum circa annum cIↃ IↃC XXXV. Imperator Ferdinandus II. iudicaret, ſibi tantum iuris in ciuitates Imperiales competere, quantum in terris ſuis hereditariis haberet, ciuitates Imperiales contradixerunt, atque ſpeciatim ad ius foederum, ipſis competens, prouocarunt. COLMANN *c. l. membr. 2. ſ. 126.* KNIPSCHILD *libr. I. p. 237. n. 80.*

§. 21.

Aliter ſenſit Carolus IV. de ciuitatibus Imperialibus, qui pro neceſſario immediatae ſubiectionis effectu ius foederum habuit, illudque ciuitatibus Imperialibus in diplomate quodam, ciuitati Fridbergenſi, occaſione oppignorationis, Comiti GVNTHERO de Schwartzburg factae, a. CIↃ CCC XLIX. dato, diſerte aſſeruit his uerbis: Daß dieſelben Bürgermeiſter, Scheffen, Rath und Burger gemeiniglich zur Fridberg ‥ in unſern und des Reichs Frid und Schirm ſitzen und bleiben ſullen, und ſullen ihr Leib und ihr Gut, und alle Freyheit und Gewohnheit alt und newe ‥ ſchirmen, gleicher weiß als ſie unverpfant und unverſetzt ledig an uns und dem Reich weren ‥ auch mögen die vorgenante unſer Burger ſich verbinden und ſtricken zu den Herrn und zu den Stätten, und zu wenne ihn das nützlich und gut iſt, ohne wider das Reich und wider den obgenannten Graven, und die, den wir ſie verpfant haben, Conf. *P. II. inform. ciuit. Fridberg. n. 20.* et KYLLINGERVM *in tract. de ganerbiis caſtrorum p. 170.*

§. 22.

Apparet, iam ante confectionem Aureae Bullae Status Imperii, et inter hos ciuitates Imperiales ius contrahendi foedera ſibi ui immediatae ſubiectionis attribuiſſe. LYNCKER *ad A. B. c. XV. p. 59.* Cum uero plures ciuitates, praecipue mediatae, circa Seculum XII. XIII et XIV. inuitis dominis territorialibus, nec raro in horum detrimentum ac perniciem, confoederationes uel inter ſe, uel cum aliis potentioribus inirent, eoque ipſo quietem publicam turbarent, coeperunt Imperatores illas abolere. LVDWIG **Erläuterung der güldnen Bulle** *ad tit. XV. n. b.* DATT. *libr. I. c. 14. n. 8. et 9.* inprimis CAROLVS IV. in *Aurea Bulla art. XV.* omnes conſpirationes, conuenticula, colligationes, coniurationes et confoederationes, a ſubditis, uel miniſterialibus absque auctoritate dominorum factas, ſimpliciter prohibuit, Quae cum ob ceſſantem legis rationem ad principes et ciuitates Imperiales non pertineant, horum foedera ibidem his uerbis: *illis confoederationibus et ligis duntaxat exceptis, quas Principes et Ciuitates, ac alii,* (ſummam poteſtatem habentes) *ſuper generali pace prouinciarum atque terrarum inter ſe firmaſſe noſcuntur; illas enim noſtrae declarationi ſpecialiter reſeruantes, in ſuo decernimus uigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum;* expreſſe confirmauit. Conf. MASCOV. *de iure foeder. in S. R. J. §. 26.*

§. 23.

Sunt, qui negant, haec uerba de ciuitatibus Imperialibus loqui. RVMEL. *ad A. B. tit. XV. p. 555.* At

enim

enim uero Imperator characteres, quibus ciuitates prouinciales in §. 1 deſignauit, in §. 2. omiſit, et uaria indicia, quibus ciuitates Imperiales neceſſario indigitare debuit, adiecit. MYLER *ad Rumel. p. 555. addit. ſub (a).*

§. 24.

Alii ſtatuunt, ius pangendi foedera per Auream Bullam ita eſſe reſtrictum, ut Principes et ciuitates Imperiales inter ſe quidem, non uero cum exteris paciſci poſſint. ARUMAEUS *diſcurſ. VI. ad A. B. c. XV. th. 7.* KYLLINGER *de ganerbiis caſtrorum Diſcurſ. XV. n. 39.* Sed nullum huius rei in Aurea Bulla reperitur ueſtigium, neque ſtatim unius rei poſitio eſt alterius excluſio. Sane, ſi haec intentio CAROLO fuiſſet, citra omnem dubitationem Status contradixiſſent, quod tamen non fecerunt. Neque conſtitutio MAXIMILIANI I. *de a. 1495. pro pace publica confirmanda, in uerbis*: **Auch ſollen wir und unſer lieber Sohn, Ertzhertzog Philips, auch unſere Churfürſten, Fürſten und Stände des Reichs ohne Wiſſen und Willen der jährlichen Verſammlung keinen Krieg, oder Fehde anfahen, noch einig Bündnis, oder Einigung, mit frembden Nationen, oder Gewälten machen, die dem Reich zu Schaden, Nachtheil, oder zuwider ſeyn mögten,** obſtat, quippe quae non ſimpliciter et abſolute confoederationes Statuum cum exteris improbat, ſed tum demum, ſi illae in detrimentum Imperii uergant. Ea ergo foedera, quae in utilitatem Imperii, aut certe non contra illam cum exteris ſunt pacta, utique per ipſam quoque MAXIMILIANI conſtitutionem ualida ſunt atque licita. Teſtis huius rei eſt experientia quotidiana,

foedera Statuum, ipſarum quoque ciuitatum Imperialium, cum exteris larga meſſe comprobans. Sane ipſe Maximilianus foederi Cameracenſi a. CIↃIↃVIII. inconſultis Imperii Ordinibus nomen dedit, ſuumque ipſius factum, quod Status Imperii aegre ferebant, in apologia, Tridenti emiſſa, apud GOLDASTVM in den Reichs-Handlungen f. 81. defendit. Imo Imperatores foedera Statuum, cum exteris inita, confirmare haud denegarunt. Sic RVDOLPHVS II. foedus reip. Lubecenſis, cum Belgis contractum, expreſſe comprobauit. ARVMAEVS *Jur. Publ. P. II. diſc. 28. th. 12.* KYLLINGER *de ganerbiis caſtrorum p. 169. n. 38.* LVDWIG *c. l. tit. XV. n. (u).*

§. 25.

Quid? quod ipſa *Pax Weſtphalica* Statibus Imperii, et ſic quoque ciuitatibus Imperialibus, ius foedera condendi ſimpliciter aſſerat. Ita enim in *Art. VIII.* §. *gaudeant: cumprimis uero ius faciendi inter ſe et cum exteris foedera pro ſua cuiusque conſeruatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuo liberum eſto, ita tamen, ne eiusmodi foedera ſint contra Imperatorem et Imperium, pacem eius publicam, uel hanc inprimis transactionem, fiantque ſaluo per omnia iuramento, quo quisque Imperatori et Imperio obſtrictus eſt.*

§. 26.

Accedunt *Capitulationes Caeſareae,* in quibus a IOSEPHO praeſertim ad hodiernum usque glorioſiſſime regentem FRANCISCVM I. ius foedere ſe obſtringendi omnibus Imperii Statibus expreſſe reſeruatum, confirmatumque eſt. *Capit.* IOSEPHI *art. X.* CAROLI VI. *art. VI.*

CARO-

CAROLI VII. *art. VI.* §. 4. FRANCISCI I. *art. VI. ſ.4.* Ultimae Capitulationis uerba ita ſeſe habent: So viel aber die Stände des Reichs anbelangt, ſolle denenſelben allen und jeden das Recht Bündnüſſe unter ſich und mit Auswärtigen zu ihrer Sicherheit und Wohlfahrt zu machen dergeſtalt frey bleiben, daſß ſolche Bündnüſſe nicht wider Uns den regierenden Römiſchen Kayſer und das Reich, noch wider, den allgemeinen Landfrieden, auch Münſter- und Oſnabrüggiſchen Friedensſchluſß ſeye, und daſß dis alles nach laut deſſelben, und unverletzt des Eydes geſchehe, womit ein jeder Stand dem regierenden Römiſchen Kayſer und dem heil. Römiſchen Reich verwandt iſt.

§. 27.

Neque intereſt, utrum ciuitates Imperiales foedera defenſiua, an offenſiua contrahant. Generatim ius foedera condendi ipſis competit, et ſic utriusque generis pacta ipſis non ſunt deneganda. Agitata quidem fuit in deliberationibus, ſuper *Capitulatione Leopoldina* inſtitutis, haec quaeſtio: utrum offenſiua quoque pacta inire liceret? et in conſultationibus, ſuper Capitulatione Ioſephina habitis, repetita; ſed Electores paci Weſtphalicae contrarium eſſe ſtatuerunt, ſi ius offenſiua pacta ineundi Statibus Imperii denegaretur. **Moſers Anmerckungen** *ad Capit.* CAROLI VII. *p. 253.* §. *1. et 254. ſ. 3.* Neque obſtat *Capitulatio Joſephina art. X.* uerbis: **Zu ihrer Defenſion.** Quis enim non uidet, uerba iſta nimis ſtricte contra mentem ac ſententiam Capitulationis, prouti ſequentia uerba: **Conſervation, Sicherheit und**

Wohlfahrt indicant, accipi. Saltem intra fines Imperii, in quibus omnis uis per pacem publicam, fundatis Imperii iudiciis, prohibetur, foedus offenſiuum ceſſare debet. Conf. BRVNNEM *in diſſ: de foederibus Statuum cum exteris.*

§. 28.

Sint uero ea, quae a ciuitatibus Imperialibus conduntur, foedera ita comparata, ne in damnum Imperii uergant, aut pacem publicam turbent, uel paci Monaſterienſi atque Osnabrugenſi contraria, ſed iuramento, et officiis, quibus unaquaeque ciuitas Imperatori et Imperio eſt adſtricta, conueniant. Hunc modum ſanctiones Imperiales praeſcribunt, et licet idem ille in Aurea Bulla non diſertis uerbis expreſſus fuerit, attamen, cum Imperator ſuper generali pace, von gemeinen Landfriedens wegen, foedera iniri uoluerit, tacite ſubintelligitur. LVDWIG *l. c. Tom. II. p. 135. n. (ff)* ERENBERG *de foederibus libr. I. c. 2. n. 228. et 229.* Hinc Imperator et Imperium ſemper excipitur. Urget hanc exceptionem *Speculum Saxonicum libr. II. art. 1.* his verbis: Wo Fürſten und Herrn zuſammen ſchweren, ſie ſcheiden denn den Kayſer und das Reich daraus, ſo haben ſie wider das Reich gemishandelt. Probe hoc iam dudum agnouerunt ciuitates Imperiales, quae iam ante Auream Bullam in tabulis foederum expreſſe Imperatorem ac Imperium exceperunt. Sic in foedere, a. CIↃCCCLVIII. inter ciuitates Conſtantiam S. Galli, Lindauiam et Schaphhuſiam inito apud LVNIGIVM Reichs-Archiv *P. Spec. Contin. IV. p. 21.* dicitur: In denen vorgeſchriebenen Dingen haben wir die von

Co-

Coſtantz, die von S. Gallen und die von Lindau uſsgelaſſen einen anhelligen Römiſchen Kayſer. Factum idem eſt in confoederatione ciuitatum Imperialium, contra principes ſub WENCESLAO inita, apud LEHMANNVM *Chron. Spir. libr. VII. c. 66.* Plura huius rei exempla, in tabulis foederum, a ciuitatibus Imperialibus contractorum, occurrentia, recenſere, inſtituti ratio non permittit.

§. 29.

Non tamen praeciſe conſenſus Imperatoris in foedus Ciuitatis Imperialis deſideratur. Equidem ante CAROLVM IV. et ſub huius adhuc regimine conſenſus iſte vel expreſſus, uel tacitus requirebatur; DATT. *c. XIII. n. 1-15.* non ex hac ratione, ac ſi illud ius foederum iure proprio non competeret, ſed, ut omnes confuſiones, quas tum colligationes priuatorum, tum ipſae confoederationes Statuum haud raro Imperio pararunt, euitentur. Ex eo fundamento CAROLVS IV. in *Aurea Bulla tit. XV.* §. 2. foedera Principum ac ciuitatum ſuae ipſius declarationi reſeruauit. Multa quoque foederum exempla, quibus ipſe conſenſum ſuum addidit, in publicum proſtant. Sic foedera ciuitatum Francofurtenſis, Fridbergenſis, Wetzlarienſis et Gelnhuſanae, contra latrones inita, a. CIϽCCCL. per ſingulares litteras, apud LVNIGIVM *l. c. p. 7.* exſtantes, auctoritate ſua confirmauit. Simili ratione confoederationi Sueuicae, a. CIϽCCCLVI. ad conſeruandam pacem publicam initae, conſenſus ipſius, teſte LVNIGIO *l. c. p. 19.* acceſſit.

§. 30.

§. 30.

Sub WENCESLAO Imperatore idem uſus adhuc remanſit, non tamen adeo frequenter id factum eſſe, uideo. Imo in hiſtoria Seculi XV. nullum fere exemplum occurrit, quo Status, foedus contracturi, ab Imperatore conſenſum expetierint. Nonnunquam haec clauſula: **Und daſs es auch mit Willen und Verhängnis des Reichs zugehe**, uti in tabula foederis quarundam ciuitatum Rhenenſium, ſub ALBERTO II. initi, adiecta reperitur. LEHMANN *libr. VII. c. 93.* Illa tamen clauſula neceſſitatem conſenſus Caeſarei in foedera non praeſcribit, ſed ſpeciale ſaltem pactum de requirendo Imperii conſenſu, ius uniuerſale haud faciens, continet.

§. 31.

In conſultationibus de pace Weſtphalica poſtulatum eſt, ut Imperatoris conſenſus adhiberetur. Ita enim apud PVFENDORFIVM *Rer. Suec. libr. XVIII. §. 95.* legati Caeſaris: *Jus foederum cum exteris Caeſarem Ordinibus quidem conceſſiſſe, cauſae tamen cognitionem requirere, ne illis Imperio damnum naſcatur. Et iam decreto Comitiorum Wormatienſium a. 1495. cautum, ut cauſae foederum, antequam concludantur, ad Caeſarem et Status Imperii referantur, et eorum conſenſus adhibeatur: id quod eo magis Ordinibus incumbat, quia ipſe Caeſar lege regia teneatur, nulla foedera intra, uel extra Imperium, niſi expreſſo conſenſu Electorum, inire, unde plus licentiae indulgere Ordinibus, quam Caeſari, abſurdum fore.* Sed iam illo tempore abunde reſponſum, PFANNERVS *in hiſtor. Pac. Weſtph. p. 95. et 119.* et ab *Auctore Meditationum ad Inſtrum. Pac. illiusque art. VIII.*

§. 2.

§. 2. p. 409. egregie oſtenſum, rem cuiusuis Status fidei atque periculo eſſe relinquendam, nec praeſumendum, aliquem, ſui officii penitus immemorem, foedus in detrimentum Imperii eſſe initurum.

§. 32.

Neque ſanctiones Imperiales, aut Capitulationes Caeſareae hunc Imperatoris conſenſum requirunt. Nonnunquam tamen ciuitates ex libera uoluntate confirmationem foederis ab Imperatore ſibi expetunt. Imo pacta, quibus ſeſe cum aliis coniungunt, Imperatori denunciare, cauſasque et finem illorum ad euitandum omne ſiniſtrum iudicium explicare ſolent.

§. 33.

Variis ſolennibus olim foedera contrahebantur. Conf. Auctor diſſertationis *ſur les diuerſes ceremonies, qu'ont employé les differentes nations dans les traitez de paix, Tom. I. Collect. Tractat.* praemiſſae. Hodie, ſi per delegatos res tractetur, prima cura eſt, ut tenor mandati rite inſpiciatur; deinde, ut reſp. quae miſit, acta ratihabeat. Hinc tabulae foederis a delegatis quidem ſubſcribuntur, non tamen aliter perfectum robur habent, quam, ſi ratihabitio principalis reipublicae accedat. Talis ratihabitio foedus commerciorum inter Ludouicum XIV. Regem Galliae et ciuitates Hanſeaticas a cIↃIↃCLV. initum, ſequebatur. LÜNIG *P. Spec. Contin. IV. Tom. II.* zweyte Fortſetzung *p. 200. et 201.*

§. 34.

Innumerus fere eſt foederum S. R. I. Ciuitatum

D nume-

Digitized by Google

numerus. Longam praecipuorum ſeriem Appendix, in fine adiectus, exhibebit. Singulorum naturam et indolem hic exponere, nimis longum foret, ipſosque ſpeciminis fines excederet. Praeſtaret tamen, ſi confoederationes ſingularum rerumpublicarum, hiſtoria, rerum geſtarum monumentis, aliisque ſubſidiis in auxilium adhibitis, ſpeciatim explicarentur.

§. 35.

Recentiori aetate non tot Imperii Ciuitatum foedera, ac olim, deprehendo. Multae illarum in poteſtatem Principum Imperii, imo exteram peruenerunt, et ſic numerus illarum eſt imminutus. Ceſſat per DEI gratiam turbulentus Imperii Status, diffidationibus per Pacem profanam ſimpliciter prohibitis. Neque foedus Hanſeaticum hodie tam late, ac olim, ſe extendit. Taceo alias circumſtantias, quae uſum foederum hodie rariorem faciunt. Creſcant interim hae ciuitates in dies ſingulos, atque flos illarum, tot ac tantis foederibus quaeſitus, permaneat usque ad huius mundi finem.

APPENDIX
PRAECIPVORVM FOEDERVM S. R. I. CIVITATVM,

ſub OTTONE IV.

Anno 1198. 12. Cal. Febr. Spirae. Inter Philippum Ducem Sueuiae, et ciuitatem Spirenſem apud LVNIGIVM *Part. ſpec.* des Reichs-Archivs *Cont. IV. P. II. 44.* Abſatz *Tit.* Speyer *§. 3.*

ſub FRIDERICO II.

A. 1227. Menſe Nouembr. Inter ciuitatem Spiram et Argentoratum apud LVNIGIVM *l. c. Part. Spec. Cont. IV. P. II. 44.* Abſatz *Tit.* Speyer *§. 4. p. 465.*

A. 1241. Inter Lubecenſes, et Hamburgenſes in fauorem commerciorum, a quo multi prima Hanſae Teutonicae initia repetunt. CASP. DANCKWERTH *P. III. Topogr. Holſat. c. VII. p. 217.* LAMBEC. *rer. Hamburg. ad a. 1241. p. 27. Confer. ill. a* WESTPHALEN *Monum. inedit. Rer. Germanic. Tom. I. p. 1306.*

ſub WILHELMO Hollando.

A. 1251. Louanii Menſe Decembr. Inter Henricum, Ducem Lotharingiae, et Brabantiae, atque ciuitatem Colonienſem propter commercia apud LVNIGIVM *l. c. Part. Spec. Cont. IV. P. II. 9.* Abſatz *Tit.* Cöln *§. 2. p. 342.*

A. 1253 - 1256. Inter uarios Imperii Proceres et multas ciuitates ad pacem colendam apud LEIBNITZ. *Tom. II. Cod. diplom. Iur. Gent. Mantiſſ. P. II. §. 8. et* LVNIGIVM *Part. Spec. l. c. Cont. I.* 2te Abtheilung *§. 1.* LEHMANN *Chron. Spir. Lib. V. c. 92. Conf.* DATT. *Vol. rer. Germanicarum Lib. I. cap. IV. §. 33. p. 24.*

A. 1254. Inter ciuitates Moguntiam, Wormatiam et Oppenhemium. Conf. LAVTZ *diſſ. de conuentibus Ciuitatum Imperialium in Append. p. 45.*

ſub

ſub RICHARDO *et* ALPHONSO

A. 1256. Inter Henricum et Ludouicum, fratres, Dominos de Lichtenberg, et ciuitatem Argentoratenſem. *Conf.* WENCKER *de Archiuis* §. *9.*

A. 1261. Menſ. Octobr. Inter Argentoratenſes et Columbarienſes WENCKER *l. c.* §. *11.*

A. eod. Inter certos Imperii Proceres et Argentoratenſes. IDEM §. *13.*

A. 1262. Wismariae die Michaelis. Inter Iohannem et Henricum Duces Megapolitanos et ciuitatem Lubecam apud LVNIGIVM *l. c. Contin. IV. P. I.* 8 Abtheilung, 30 Abſatz *Tit.* Lübeck §. *4. p.* 1333.

A. 1268. Inter Albertum, Thuringiae Landgrauium, et ciuitatem Erfurtenſem, apud LVNIGIVM *l. c. Contin. IV. P. II.* 9 Abtheilung, 4 Abſatz §. *20.*

A. 1722. IV. id. Mart. inter Albertum, Comitem de Glichen, et Erfurtenſes apud LVNIGIVM *l. c.* §. *21.*

ſub RVDOLPHO *Habſpurgico.*

A. 1277. Inter Albertum, Comitem de Glichen, et ciuitatem Erfurtenſem, apud LVNIGIVM *l. c. Contin. IV. P. II.* §. *22. p. 430.*

